



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

Sanctissime Pater Eminentissimi & Reverendissimi S. R. Ecclesiæ
Cardinales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)



Sanctissime Pater

Eminentissimi & Reverendissimi
S. R. Ecclesiæ Cardinales.



A est eximiarum Virtutum vis, ut
suis neutiquam includenda finibus,
in exteris etiam regiones quam
longissime propaletur. Non po-
test sol, suo se satis splendore pro-
dens, mortalium oculis subduci; nec sidera, suo
sole animata, unquam deficere. Sol nobis es,
Sanctissime Pater, qui virtutum tuarum radiis or-
bem illustras universum; Sidera estis, *Eminentissi-
mi & Reverendissimi S. R. Ecclesiæ Cardinales*, qui lu-
cem, quam Solibus vestris debetis, in omnes qua-
quaver-

quaversus orbis plagas latè diffunditis. Hinc totus orthodoxus orbis in eo unicè allaborat, ut ex cogitabilia quæque debitissimæ gratitudinis syngrapha tam beneficis astris suis rependat; Quod tunc maximè fit, cùm nomina vestra, quæ scripta sunt in cœlis, publicis literis & typis, utpote immortalitate digna, insculpuntur in terris. Nec nos Germanos tam frigidum cœlum animat, ut Romanæ beneficentiaæ radiis luculenter perstricti, beneficia nostra non agnoscamus. His ego unicè cogitationibus permotus, in gratissimi animi tesseram meas qualescunque Musas in subsidium advocavi, vivam virtutum vestrarum Imaginem, etsi non Romanâ, prout fieri deceret, facundiâ, Germano saltum candore delineaturus. Dum Solem, Sidera, Cœlum imitamini, à Sacratissimis aris vestris neminem, gratitudinis thura afferentem repellatis. Si stilus rerum magnitudini succumbat, Vos ipsos, ignoscite libertati, in partem culpæ substituo, ut pote qui majora geritis, quàm literatissimus quisque, à quorum tamen laude me quàm longissimè abesse sentio, oratione complecti valeat. Vive igitur Benedicte, téisque quatérque Benedicte, qui nobis venis in nomine Domini. Eris Sol noster nunquam occiduus, & ex hujus Orbis hemisphærio satis ferò aliquando subductus, pulcherrimè splendebis sedibus in Empyreis, quas meritis jam diu occupâsti. Vivite Lucidissima Orbis Sidera Eminentissimi & Reverendissimi D.D. Cardinales, & plenâ vestrarum sapientiarum & virtutum luce quàm diutissimè orbem beate. Iterum: VIVE beneDICte soL noster: fVLgete Vnâ nltIDA orbIs sIDera.

Sanctitatis Tuæ
Et Eminentiarum Vestrarum

Humillimus, submississimus

Joann. Rud. Conlin.